



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Qvæst. 1. Vtrum simile possit agere in simile.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

Dei, distinguat maiorem: supernaturā iter nego; naturaliter, concedo; & concessa minori, distinguat similiter consequens.

Ad confirmationem ex Scoto, Respondeo eum posse intelligi locutum iuxta mentem Philosophi, non iuxta proprium.

Deinde non dicit contraria non posse esse simul; sed quod si non esse possent simul in eodē subiecto, cui per se conveniunt, eodem modo non possent esse simul in illo, per accidens convenirent; quod verum est, sed non est propositum.

79 *Obiectis secundo:* Deus non potest impedire effectū formalem causæ existentis in subiecto, neque enim potest impedire quo minus albedo existens in subiecto faciat illud album: sed effectus formalis caloris est expellere frigus: ergo Deus non quit impedire quo minus ipsum expellat, quando est in subiecto.

Responderi solet communiter distinguendo maiorem; effectum formalem primum, concedo; secundarium, nego; & similiter distinguo minorem; effectus primarius, nego; secundarius, trāseat. Effectus itaque primarius, quem per se intendit, & quem posset habere albedo etiā per impossibile non daretur nigredo, est facere album, & hūc Deus nequit impedire, si albedo sit in subiecto, quia ab hoc præteritis habetur, neque indiget aliqua alia conditione, aut causa realiter distincta: expellere autem aliam formam est secundarius effectus, qui non intenditur per se, & non haberetur à forma nisi ex impossibilitate cum altera forma.

Confirmatur hoc quia Deus potest impedire illum effectum, quem potest præstare absque forma, & sine quo potest forma esse in subiecto: sed Deus absque calore posset expellere frigus, subtrahendo suum concursum, & potest calor induci absque actuali expulsiōe frigoris, ut si frigus non succederet: ergo potest impedire expulsiōem frigoris per calorem.

80 *Verum contra hanc responsionem facit*, quod etiam aliqui effectus secundarij formarum non possint impediri à Deo: neque enim Deus potest impedire quin forma expellat præteritionem sui, & tamen illa expulsiō est effectus secundarius ipsius: & rursus non potest impedire quo minus amor expellat odium, ut communiter supponitur, ergo ex eo, quod expulsiō frigoris sit effectus secundarius, & non primarius præteritis, non sequitur quod possit impediri à Deo.

Et hinc patet confirmationem non valere, quia Deus potest similiter expellere odium absque amore, subtrahendo concursum; & potest amor induci etiam naturaliter quin odium præcesserit, & tamen non potest impedire quin si odium præcesserit, amor illud expellat.

Melius ergo respondetur distinguendo maiorem: effectum formalem necessario coniunctum cum ipsa forma, & non indigentem alia conditione aut ratione realiter distincta, quam inexistētia formæ in subiecto, concedo maiorem: effectum formalem non necessario coniunctum cum forma inherente, nego maiorem; & similiter distinguo minorem, & nego consequentiam.

DISPUTATIO XXV.

DE CONDITIONIBVS ALIQVIBVS
AD AGENDVM REQUISITIS.



AC disputatio instituitur hic principaliter, ut possimus cognoscere, quanam res possint alterare alias, easque ad generationē disponere, & quanam impedimenta possint dari actionis alteratiue ac generatiue; qua etiam ratione hic solet tractari à multis de natura Actionis ut sic, de qua egi in Logica ac Physica.

QVÆSTIO I.

Verum simile possit agere in simile.

Certum est experientia quod illud, quod est simile alteri in aliqua qualitate quod ad speciem, possit agere secundum illam qualitatem in alterum simile: sic enim aqua frigida potest frigidificare alteram aquam minus frigidam. Vnde sensus controuersie huius est, an illud quod est simile alicui in aliqua qualitate quoad speciem & intentionem possit agere in illud alterum secundum eandem qualitatem: verbi gratia, an calidum, ut quatuor, possit calefacere alterum calidum ut quatuor, seu producere in illo aliquid caloris.

CONCLUSIO

Simile nequit agere in simile. Hæc est communissima cum Philosopho hic.

*Probat*ur primo à Complutensibus disputat. 8. quæst. 1. quia omne agens agit in quantum est in actu, & patiens patitur in quantum est in potentia; sed quodlibet ex duobus calidis, ut quinque, est in actu respectu caloris ut quinque, & neutrum est in potentia respectu talis caloris aut minoris, sed respectu maioris tantum; & deinde neutrum ex illis est in actu respectu maioris caloris; ergo neutrum in alterum agere potest.

Verum in hac probatione manifeste petitur principium: supponit enim quod probandum est, nempe calidum ut quinque non esse in potentia ad recipiendum plus caloris ab alio simili calido, & non esse in actu sufficienter ad efficiendum, quod alterum simile plus caloris habeat, quod est directe illud, quod est probandum.

*Probat*ur ab iisdem secundo, & aliis etiam Authoribus communiter, quia finis agentis est assimilare sibi passum; unde si inueniat ipsum perfecte sibi simile, non poterit in ipsum agere. Quod si obuiatur ipsis calos agere in hæc inferiora, & non in ordine ad assimilanda sibi ipsa, quandoquidem producant in illis qualitates, in quibus non sunt ipsis similes; producant enim calorem in inferioribus, qualem ipsimet non habent in se, ut communiter supponitur.

Respondetur agens dupliciter posse sibi assimilare passum, vel formaliter, vel virtualiter; formaliter quidem quando producit talem qualitatem in specie in ipso, qualem ipsummet habet; virtualiter autem, quando producit in ipso qualitatem, cuius producendæ habet virtutem, quamuis non habeat similem ipsi in specie qualitatem. Itaque cal agunt in hæc inferiora, ut reddant ipsa sibi similia virtualiter, licet non formaliter.

2. *Sed ut verum fatear*, mihi nunquam placuit hæc probatio primo, quia satis improprie dicitur aliquid simile alicui virtualiter ex eo præteritis quod aliquid habeat quod continetur in virtute alterius; neque simpliciter solet dici quod paries ut albus est similis Deo, licet contineatur in virtute eius.

Secundo & præcipue, quia omnino videtur hic etiam peti principium; nam ideo colligimus finem agentis actione vniuoca, de quo agente hic principaliter agitur, esse assimilare passum, quia aliunde colligimus quod nunquam agat in passum sibi simile; & cui hoc esset incertum id etiam esset eque incertum: unde per hanc probationem ignotum per æque aut magis ignotum probatur.

Tertio, quia quamuis daremus finem agentis esse assimilare sibi passum, non sequitur quin etiam si passum esset aliunde sibi simile, deberet agere in ipsum, ut scilicet actione sua faciat ipsum simile.

Melius ergo probatur à posteriori, quia quamuis applicaremus duo frigida ut duo sibi inuicem, non inuenimus quod augebunt suam frigiditatem & si id possent facere, deberent augere illā mutuo usque ad octauum gradum; quia enim ratione frigidum ut duo posset producere aliquem gradum in alio frigido ut duo, posset etiam alium in frigido ut tria, & alium in frigido ut quatuor, & sic usque ad octauum gradum, quod est contra manifestam experientiam.

668 PHYSICA. De Conditionibus ad agendum, &c.

Confirmatur, quia si frigidum ut duo posset producere frigus in alio frigido ut duo, posset etiam in se ipso. Sed hoc est contra manifestam experientiam: ergo.

Probatur sequela: nam ipsummet est capax ulterioris gradus non minus, quam illud alterum, & idem potest agere in se ipsum.

3 *Dices*, idem posse agere in seipsum actione non vniuoca, sed æquiuoca.

Contra, quia si posset agere in simile actione vniuoca, nihil impedit quo minus etiam ageret in se ipsum tali actione.

Dices non esse paritatem, quia determinatur ad non agendum in se tali actione; non vero ad non agendum in alio.

Contra, quia non colligitur quod sit sic determinatum ad non producendum in se, nisi experientia: sed similis experientia habetur quod non possit agere in aliud simile: ergo eadem prorsus est ratio.

Quod si queratur ratio à priori huius, illi qui ponunt heterogeneitatem graduum in intensione, dant pro ratione, quod calidum ut duo non contineat in virtute sua gradum tertium; qui est perfectior prioribus duobus gradibus, & consequenter non possit ipsum producer: quæ ratio esset bona, si verum esset quod daretur ista heterogeneitas. Alij vero dant pro ratione finem agentis actione vniuoca, quem colligunt tamen à posteriori ex eo, quod non videant agentia agere quando passum est simile: & hæc etiam ratio est in se bona, sed ut dixi supra, quando non constat an agens possit agere in simile, non debet hæc causa adduci, tanquam medium ad probandum quod non.

Alia ratio posset dari ex determinatione ipsius cause, dicendo scilicet quod propterea non agit in simile, quia ex natura sua est determinata ad non agendum; ut colligitur à posteriori: & hæc etiam est optima ratio & sufficit ad non recurrendum ad heterogeneitatem, ut dixi supra.

4 *Obijcies primo*, causa naturalis adæquata alicuius formæ, necessario produceret talem formam in quocunque subiecto applicato capaci talis formæ, & non habente vllum impedimentum ipsius: sed calidam ut duo est causa naturalis adæquata respectu vnius gradus caloris, & aliud calidum, ut duo, est capax talis gradus; nec habet vllum impedimentum ipsum recipiendi: ergo necessario calidum ut duo producit illum gradum in illo. Probatur etiā minor quoad primam partem, quia necessario talem gradum produceret in alio subiecto. Probatur etiam minor quoad secundam partem quia, ut suppono, non habet aliud impedimentum quam calorem ut duo: sed hoc non est impedimentum recipiendi talem gradum, quandoquidem possit ipsum recipere ab alio agente.

Respondetur, distinguendo minorem pro secunda parte: est capax illius à tali causa; nego; ab alia, concedo minorem, & nego consequentiam. Et si queratur, cur non esset capax recipiendi illum ab hac causa tam bene quā alia quacunque. Respondendum est rationem esse principia nostræ conclusionis.

5 *Obijcies secundo*, duæ manus calidæ coniunctæ calefaciunt se inuicem, & conseruant suum calorem magis, quam si vna ex ipsis esset frigida, aut vtraque separata: ergo simile agit in simile.

Respondetur, negando consequentiam: si enim calefaciunt se positivè, non erant similis intensiōis, sed altera maioris. Conseruant autem suum calorem, non per actionem aliquam positivam directam, sed impediendo alia agentia frigefactiua.

Obijcies tertio, duæ phialæ vitreæ omnino similes frangunt se inuicem: ergo simile potest agere in simile.

Respondetur, argumentum hoc non esse ad propositum; quia neutra ex phialis producit vllum gradum qualitatis in altera phiala quam rumpit, in qua qualitate est similis alteri. Vnde nego consequentiam, loquendo de actione similis in simile in sensu huius controuersie; nec sane in hoc videtur esse vlla difficultas.

Obijcies quarto: minus intensum producit aliquid in

subiecto magis intenso: ergo multo magis potest simile agere in simile. Consequentiam admittunt omnes. Probatur antecedens, quia radius solaris immediatus ante lumen reflexum producit ipsum, quod sine dubio est ipso intensius; & aer intendit frigus aquæ dū ipsum congelat, cum tamen non sit tam frigidus quam aqua; & ferrum candens accendens stramen, producit maiorem calorem quam ipsummet habeat: non enim habet in se octo gradus caloris, alias esset ignis; tot autem producit in stramine; alias non produceret dispositionem sufficientem ad ignem.

Confirmantur hæc experientiæ ratione, quia agens potest agere in minus potens: sed aliquid simile in qualitate potest esse potentius alio simili in eadem qualitate: nam ex duobus calidis ut tria, si vnum sit altero densius, ut maius mole, erit etiam illo potentius, ut patet experientia; nam manus illa trahi potest per mediam flammam, non vero per mediam aquam calidam, quia aqua est densior flamma.

6 *Respondeo* negando antecedens: ad cuius probationem dico, quod neque radius immediatus ante reflexionem producat lumen reflexum, præsertim nisi sit intensior: neque aqua congeletur ab aëre vel alterius corporis frigore solus; sed etiam à communicatione aliarum qualitatum, & resertim siccitatis. Alij dicunt quod aqua tum se ipsam reducat ad illum statum, remotis impediētis: sed hoc non est verisimile, quia tum status naturalis aquæ esset esse congelata, quod est incredibile. Ad aliud de ferro candenti, Respondeo vel esse ignem in poris eius latitantem, & sic tollitur tota difficultas, ut patet; vel si non sit, negandum esse quod ferrum producat ignem, & dicendum quod producta caloris congrua dispositione, ignis producatur à causa aliqua superiori.

Dices: congrua dispositio ad ignem est calor ut octo: ergo si ferrum producat tantum calorem, producat maiorem calorem, quam suus est, nam non habet octo gradus caloris in se, alias esset ignis.

Respondeo non esse nec sic, ut in quocunque subiecto conuertendo in ignem producatur calor ut octo, licet in aliquibus fortassis sit verum: nam non requiritur dispositio præuia, nisi ut expellantur accidentia conseruatiua formæ corumpendæ; ad hoc autem in aliquibus videtur sufficere minus intensa dispositio quam in alijs; quis enim non existimet, si ad expellendam formam lapidis requiratur introductio caloris ut octo, ad expellendam formam straminis sufficere introductionem caloris ut sex?

7 *Potest etiam dici*, quod ferrum candens haberet calorem ut octo, non tamen haberet sufficientem dispositionem ad ignem, quia non solum calor ad ignem disponit, sed etiam siccitas, quæ non reperitur in tali ferro in sufficienti dispositione.

Ad confirmationem respondeo distinguendo minorem: potest esse potentius ad producendam intensiorem formam nego; ad citius producendam formam, vel ad agendum in maiori distantia, concedo minorem, & nego consequentiam. Quod autem diuersitas & extensio maior non iuuat ad producendum intensiorem effectum; colligitur ex multis capitibus, & præsertim quia frigidum ut octo, quamuis rarum, potest in aliquo subiecto capaci non resistenti nimium, producere frigus ut octo; & si fieret densius, aut magis extensum, applicareturque eidem subiecto; non posset producere magis intensum frigus: ergo densitas & extensio maior non conducunt ad intensiorem effectum producendum, licet possint conducere ad effectum citius producendum, vel ad eum producendum in remotiori parte.

Præterea sequeretur, quod duo corpora calida ut duo, possent se mutuo summe intendere, quod est absurdum. Patet sequela, quia si vnum esset densum, posset alterius rari calorem intendere, & consequenter facere ipsum calidum ut tria, & illud alterum factum sic calidum posset producere vnum gradum caloris in illo calido denso, & consequenter ita progrediendo facerent se mutuo calida ut octo.

Deinde si densitas aut magnitudo extensionis essent ratio,

ob

ob quam possit magis intensa qualitas produci vel essent principium quo, seu ratio formae agendi, vel essent tantum conditio sine qua non: sed neutrum dici potest: ergo. Probatur minor quoad primam partem, quia nulla forma accidentaliter particularis potest esse principium formale producendi oppositas omnino qualitates: sed si densitas esset principium formale quo producendi cum frigore frigus, deberet etiam esse principium formale producendi cum calore calorem, & etiam cum siccitate si citate, & cum humiditate humiditatem, & consequenter esset principium formale productum non solum qualitatum oppositarum, sed etiam omnium primarum qualitatum, quod est absurdum. Et hac ratione colligitur communiter densitatem non esse qualitatem actuum. Simile autem argumentum potest fieri de magnitudine. Probatur eadem minor quoad secundam partem, quia nulla conditio potest esse ratio, ut forma actiua, praesertim vniuocae agentis, plus producat quam in se contineat formaliter: ergo densitas & magnitudo, si sint conditiones sine quibus non tantum, non possunt esse ratio ut calor ut duo producat calorem ut tria. Probatur antecedens, quia alias frigidum ut duo cum maiori applicatione posset producere frigus ut tria.

8. *Obiicit tertio:* si candela produceret in aula tantum lucis, quantum posset verbi gratia, duos gradus, & alia candela potens tot solum gradus producere, poneretur in aula, lumen illud intenderetur: ergo simile ageret in simile.

Respondetur: negando antecedens: in tali enim casu non intenderetur magis per candelam additamentum, quam per praexistentem: unde si praexistens non intenderet lumen nec altera etiam intenderet ipsum posset, de facto tamen altera candela intenderet lumen aulae, quia quaelibet candela nata est producere plus luminis in parte sibi viciniori, quam in partibus remotioribus, & consequenter cum quaelibet ex pluribus candelis habeat aliquis pars aut sibi viciniore quam altera, fit ut lumen totius aulae intendantur.

Obiicit quarto: olla bulliens habet superficiem calidiorum fundo: ergo fundum, quod est minus calidum, intendit calorem superficiei ultra suum calorem.

Respondetur: negando consequentiam: nam ista intensio maior procedit aliunde quam a fundo, verbi gratia, ab igne vel ab exhalationibus aliquibus, quae in maiori abundantia reperiuntur, quam in fundo.

Et si queras: cur fundum lebetis pleni liquoris in initio calefactionis calidius multo sit quam liquor in ea contentus: in processu autem calefactionis minus calidus, & quam liquor, & quam ipsummet etiam ante fuerit.

Respondetur: quia ignis, dum calefacit lebetem, transmittit per poros eius exhalationes igneas, quae detinentur in ipso lebeate propter resistentiam liquoris nondum calefacti, & propterea non est mirum quod in initio calefactionis lebes sit valde calidus; at postquam calefit etiam liquor, quia non possunt detineri ulterius exhalationes, ascendant per ipsum liquorem, & peruenientes ad superiorem partem excitant ipsam, efficiuntque, ut bulliat liquor: & hinc oritur ut liquor sit calidior lebeate, & lebes minus calidus quam in initio.

QVÆSTIO II.

Quomodo fit actio reflexa.

9. **E**xperientia constat quod quando opponitur aliquid corpori impediens progressum actionis, calefacturae verbi gratia, aut illuminatiuae, sentitur maior calor aut lux in aere viciniori isti corpori, quam alias produceretur in illo: & quia illa actio per quam producit maior iste calor aut lux, egredi videtur & redire a corpore illo opposito, propterea vocatur actio reflexa, hoc est, quae reuertitur ad agens principale; ad differentiam actionis directae, quae ab illo agente progreditur semper. Hic ergo examinandum est quomodo hoc fiat.

Aliqui putant, obstaculum, hoc est corpus oppositum,

esse causam istius actionis reflexae, & quidem principale. Alij volunt esse tantum instrumentalem causam. Alij existimant ipsum obstaculum esse principium quod istius actionis, & qualitatem ab agente principali in ipso productam esse principium quo eius.

Alij vero tenent, principium quo esse potius species intentionales qualitatis illius, verbi gratia, lucis aut caloris.

CONCLUSIO I.

Reflexio non fit per species intentionales qualitatis, quae reflectitur. Hæc est contra *Marsilium hic q. 17. Paulum Venetum & alios.*

Reflexio non fit per species intentionales.

Probatur manifeste, quia species intentionales solum habent virtutem productiuam actuum vitalium aut aliarum specierum intentionalium: nec ex ulla experientia aut ratione constat, quod dentur ulla ratione nisi in ordine ad illas actiones vitales: ergo gratis dicitur quod possint producere calorem aut lucem.

Rursus illae species intentionales producuntur ab ipsa qua itate directe producta, verbi gratia, a calore aut luce: ergo non possunt esse perfectiores quam illa qualitas, & consequenter non possunt efficere qualitatem perfectionem quam qualitas, a qua producuntur: sed efficienter, si possent intenderet ipsam: ergo nequeunt eam intenderet.

Confirmatur, quia potest assignari alia causa, a qua oriatur reflexio: ego non debet recurri ad illas species intentionales: & per hoc destruitur fundamentum Aduersariorum, qui propterea ad species has confugerunt, quod aliam causam non repererint.

CONCLUSIO II.

10. *In reflexione tam lucis, quam caloris intenditur qualitas ab obstaculo usque ad determinatam sphaeram, & non solum extenditur.* Hæc etiam est communis: & prima pars est contra *Conplutenses disp. 8. num. 19. quas.*

Probatur primo, quia gratis fingunt semper quoties fit reflexio, dari talia corpuscula, quae non illuminabuntur quoad omnem partem per actionem rectam lucis: Et deinde non potest dici quod per calefactionem directam non calefiant etiam illa corpuscula, quoad omnem partem: ergo saltem reflexio caloris nequit soluari abique intentione eius: sed si in reflexione caloris intenditur calor directe productus, idem a pari dici debet de reflexione luminis, praesertim cum tam facile solui possit quomodo fiat in vno casu, atque in altero.

Confirmatur, quia quantum ad experientiam omnem, tam patet intendi lucem & calorem, quam ullam qualitatem inquam intensionem: ergo debet dici quod intendatur.

CONCLUSIO III.

11. *Causa directe producat qualitatē intendit ipsam actione reflexa a se ipsa immediate exiunt.* Hæc est *Doctores in 4. d. 5. quaest. 9.* quem præter suos sequuntur *Auersa q. 39. Philosophia. Arriaga hic d. 3. nu. 143. contra intendit: Suar. disp. 10. met. sect. 9.*

Causa directe producat qualitatē intendit ipsam actione reflexa a se ipsa immediate exiunt.

Probatur primo, quia quandoquidem impediatur per obstaculum ab actione directe pro tendenda, congruum erat ut posset eam reflectere in idem spatium: ergo dicendum est quod ita fiat.

Hæc probatio non placet, quia inde sequeretur, quod quoties agens impediretur ab actione protendenda, deberet eam reflectere; hoc autem est falsum, quia non a quocumque obstaculo fit reflexio, ut patet experientia.

Melius ergo probatur, tum quia nihil impedit quominus actio reflexa egrediatur a causa principali directe agentis: tum quia nulla alia causa aptior assignari potest, probatio cui illa actio tribuatur: ergo ab illa egreditur. Antecedens quoad primam partem probatur, quia nihil aliud assignari potest præter obstaculum, aut secundum se, aut secundum qualitatem directe in ipso productam: sed neutrum dici potest.